

tis partibus olim venerabiliter humata in contiguis iam temporibus Ratisponam Bawariae urbem metropolitanam et in sancti Emmerammi martiris ecclesiam intra eiusdem urbis muros sitam sint translata. Verumtamen ea primitus, quae tam ex nostrarum quam ex illorum, qui ex Gallia ad nos veniebant, relatione fideli comperimus, deinde vero tamquam veritatis fundamento ac parietibus ex sermone latiori auditae rei suppositis, illa quae visu exinde comprehendimus, prout ipse, qui totius sapientiae fons et fundamentum constat, cordi nostro inmittere dignatur, edificiū more pauca verba superponentes, proferre cupimus. Inter haec etiam lectorem petimus, ne forte propter stili vel eloqui nostri ruscitatem minus credat minusve libenter attendat materiae tantae sublimitatem.

1.^a Arnolfo igitur imperatore, filio Karlomanni regis Bawariae, inter reges et imperatores, sicut in chronicis legitur, famosissime regnante, miracula ac signa beati Emmerammi martiris, qui in urbe supradicta Ratispona corporaliter requiescit, adeo ubique et maxime infra circumiacentis provinciae terminos divulgabantur tantaque veneratione habebantur, ut non solum principes atque optimates Germaniae illius exquirent patrocina, verum etiam idem imperator prae omnibus regni sui locis venerabilibus amaret et efflagitaret eiusdem martiris beneficia. Quia enim sibi in Bawariae finibus ex hereditate patris supradicti Karlmanni, qui eiusdem Bawariae rex specialiter vocatus legitur et sepultus in loco quodam Ottinga nominato quiescit, predia provenerant maxima, atque occasione huiusmodi aliquantum detentus sepiissime necnon libentissime in eadem commoratus est provincia: idcirco ex parte contigit, ut contiguum sancti Emmerammi monasterium orationis causa, ut dictum est, frequentaret patrocinioque eius se in omnibus commendaret. Et quia toto corde precibus eius se commendavit, erat proficiens et succrescens ac quocumque se verterat superavit.

2. Factum est autem, ut idem imperator in occidentalia Galliae regna cum exercitu pergeret, et superatis omnibus inimicis, contra quos bellum ceperat, ad urbem Parisius veniret ibique prope eandem urbem in herbidis locis, quia tempus estivum erat, tentoria figens aliquamdiu resideret. Interea vero cum ibidem moraretur et de diversis provinciae ipsius rebus atque locis familiarissimos suos alloqueretur, cepit etiam cum eis consilium agere, quomodo alicuius sancti corpus maximeque sancti Dionysii exinde posset acquirere. Tunc uno quoque pro viribus suis respondente, clericus quidam

a) Die Zahl der Capitel fehlt c., doch ist immer ein Absatz beim Anfange eines Capitels und stets der Raum für eine später nicht ausgeführte Anfangsinitiale frei gelassen.